…: Quaestio de iuramento confirmatorio.

Crosneri Joannis

Quaestio de iuramento confirmatorio

QVÆSTIO
DE
Iuramento Confirmatorio.

Ad C. Quamuis.

DE PACTIS IN SEXTO.

Iuncta Auth. Sacramenta puberum. C. Si aduersus venditionem.

A

M. IOANNE CROSNERO I. V. D. pro die 27. Martij. in Almâ Academia Cracouieñ ad disputandum proposita. Anno Domini, M. DC. XX.

CRACOVIÆ,
In Officina Matthiæ Andreouiensis.

ii

IN ARMA
Illustrissimi & Reuerendissimi Domini.



Illustres Lunæ magno iam lumine fœtæ,
Inclyta peruigilis symbola consilij.
Vos ô SZYSZKOVII curas noctisq; labores
Signatis, quos hic pro patria & Deo agit.
Ense eius proaui laudem meruêre supremam,
Noster at hos grandi consilio exuperat.

Illustriss. & Reuerendiss. Domino,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei Gratia Episc. Cracouień. Duci Seuerień. &c. &c.

Vigilantissimo Acad: Cancell.

Domino D. & Patrono suo S. & F.

POsteaquam in Academia Tua Illustrissime Præsul, ad reformationem studiorum diu iam olim exoptatam signum sublatum est, in id quisq; ingenij sui neruos intendit vt legi consensu totius Vniuersitatis sancitæ faciat satis. Ac licet me triennij labor in Lubransciano ab ea lege videbatur exemisse, prodire tamen in arenam non recuso, ratus veritatem non alio ingenij nisu reperiri. Quæ igitur nostri Scæuolæ, hoc est æquitatis magistri de Iuramento tanquam fidei ac promissorum custode proponunt, ea sub Tuæ Illustrissimæ Celsitudinis patrocinio publice discutienda propono. Te Cancellario nunc Academia reflorui t, vt videatur hæc laus Diuina quadam ordinatione Tuo regimini reseruata: æquum igitur est fructus legis omni

memoria dignæ Tuæ Amplitudini offerri, ab eo præsertim qui primus ex Tua Academia studia Lubransciana exuscitare cæpit, eo quidem tempore fatis ita disponentibus, quo Tua Illustrissima Celsitudo ad Episcopatum Cracouiensem, atq; adeo Academiæ Cancellariatum fæliciter peruenit. Accipe igitur Illustrissimæ Præsul atq; me studiaq; mea defende, quod supplex oro. DEVS *Opt. Max. Illustrissimam Tuam Celsitudinem seruet diu incolumem, ad Academiæ incrementum, atq; quod his temporibus valde necessarium est ad Reipublicæ subsidium. vale. Dat. Cracouiæ ex Contuber. Iurist. 23. Mart. Anno Dñi 1620.*

Illustrissimæ & Reuerendissimæ
Celsitud. Tuæ æternum deuotus.

Ioannes Crosnerus. I.V.D.

QVÆSTIO.

De Iuramento confirmatorio.

Ad Cap: Quamuis. de pactis in 6.

Iuncta Auth. Sacramenta puberum.

C. Si aduersus venditionem.

V. Conuentio præter auctoritatem legis inita, vel propter publicam vtilitatem, aut fauorem certarum personarum prohibita, adiectione iuramenti, nec vi, nec metu præstiti confirmetur, adeó vt non solum pars iurans conuētioni stare compellatur, sed etiā vinculis periurij innodetur nec ne?

CONCLVSIO I.

COnuentio à Legibus nec approbata nec improbata propter iuramenti interuentum, omnino seruari debet.

Corollaria.

1. Pacta & conuentiones iuramento confirmatæ censen-

censentur animo deliberato à partibus celebratæ fuisse.

2. Ex nudo pacto dato actionem non oriri, accessione tamen iuramenti illam prouenire posse credimus.

3. Stipulatio alteri per alterum facta de iure Ciuili nulla est; secus est adiecto iuramento.

4. Consuetudine introduci potest, vt ea quæ sunt inualida propter legum indifferentiam, etiam non accedente iuramento suam obtineant firmitatem.

5. Interpositio fidei nonunquam iuramento æquiparatur, similesque effectus producit.

CONCLVSIO II.

Conuentio propter publicam principaliter vtilitatem prohibita, iuramento confirmari nequit.

Corollaria.

1. Publici fauoris causa, tunc lex aliquid statuisse censetur cum tam intentione, quam executione commune bonum intuetur.

2. Clericus foro suo renuntians sub religione iuramenti, & foro seculari parere promittens nihil agit.

3. Instan-

3. Inſtantia litis quæ triennio extinguitur, non poteſt à partibus prorogari, vt ea duret vltra triennium iuramento quoque accedente.

4. Lex 2. C. de agricolis & cenſitis. hodie locũ non habet; quamuis olim propter fauorem publicum, contrarium iuramento quoque ſtabilitũ non ſubſiſtebat.

5. Cùm ædificiorũm in ciuitate publicus ſit fauor, olim inſtitutum fuit, ne iuramento talis conuentio roboraretur, qua deformari ædificia contingeret.

CONCLVSIO III.

Propter fauorem perſonarum, contractus à legibus prohibiti, adiectione iuramenti firmi ratiq́ue erunt.

Corollaria.

1. Filius qui iurauit in manibus patris, ſe non alienaturum bona immobilia ſine authoritate iudicis, & conſenſu curatoris, peſteaq́ue alienauerit appoſito iuramento non obligatur.

2. Minor cuius contractus ſine conſenſu curatorum leges vetuerunt, propter adiecti iuramenti vim, ſtare contractui tenebitur.

3. Filijfamilias alienatio bonorum, in quibus pater habet

ter habet vſumfructũ, iuramento non confirmatur.

4. Feudi conceſsio à minore facta, non adhibitis partibus curiæ, etiamſi iuramentum interuenerit inualida eſt.

5. Mulier virtute iuramenti, non certiorata de beneficio Velleiani pro alio intercedens efficaciter obligatur.

CONCLVSIO IV.

Per vim vel metum iuramenta extorta, ad confirmandum aliquem actum, inualida ſunt.

Corollaria.

1. Tam minoris quam maioris iuramentum vi vel metu extortum, nullius eſt momenti.

2. In foro conſcientiæ iuramenta per vim vel metum præſtita, obligant.

3. Si quis iuramentum vi vel metu extortum, ſecundo iuramento comprobauerit, ſe nolle facere quærimoniãm de tali vi aut metu, nihil agit.

4. Prout in cæteris contractibus, ita & in iuramento vis vel metus intelligendus eſt, qui in virum conſtantem cadere poſſet.

5. Per dolum quoque iuramentum extortum non obligat.

CON-

CONCLVSIO V.

Pars iuramento non ſatisfaciens, & promiſſum præſtare cogetur, & periurij macula notabitur.

Corollaria.

1. Cui non eſt ſatisfactum ratione contractus, iuramenti actione ex eodem contractu promananti experiri poterit.

2. Vſuras iuramento ſoluere promittens, licet aduerſa pars, eas petere non poſsit; iurans tamen metu periurij eas ſoluere tenebitur.

3. Periurium extra ordinem Iudicis officio puniri verius eſt de iure Ciuili.

4. Per ſententiam periuro declarato, ſi collatio beneficij facta fuerit, eſt ipſo iure nulla.

5. Neceſsitas vel impoſsibilitas excuſat à periurio.

Sub felicibus auſpicijs Admodum Reuerendi P. & Magnifici Domini M. SEBASTIANI KRVPKA, I. V. D. & Profeſſoris, Canonici Cracouień. Præpoſiti Vielic. & Academiæ Generalis RECTORIS.